

Version latine n°5 : les oracles nous mentiraient-ils ?

Sed praesentis operis fuerit insinuare qualis soleat in diuinationibus esse affectata confusio, ut desinas de inserta uelut dubitatione mirari. [...]

Diulgatis etiam docemur exemplis, quam paene semper, cum praedicuntur futura, ita dubiis obserantur, ut tamen diligens – nisi diuinitus, ut diximus, impeditur – subesse reperiatur apprehendendae uestigia ueritatis, ut ecce Homericum somnium a Ioue, ut dicitur, missum ad conserendam futuro die cum hostibus manum sub aperta promissione uictoriae spem regis animauit : ille, uelut diuinum secutus oraculum commisso proelio amissis suorum plurimis uix aegreque in castra remeauit. Num dicendum est deum mandasse mendacium ? Non ita est, sed quia illum casum Graecis fata decreuerant, latuit in uerbis somnii, quod animaduersum uel ad uere uincendum uel ad cauendum saltem potuisset instruere. Habuit enim praeceptio ut uniuersus produceretur exercitus, at ille sola pugnandi hortatione contentus non uidit quid de producenda uniuersitate praeceptum sit, praetermissoque Achille, qui tunc recenti lacesitus iniuria ab armis cum suo milite feriabatur, rex progressus in proelium et casum qui debebatur excepit, et absoluit somnium inuidia mentiendi non omnia de imperatis sequendo.

Parem obseruantiae diligentiam Homericae per omnia perfectionis imitator Maro in talibus quoque rebus obtinuit. Nam apud illum Aeneas ad regionem instruendo regno fataliter eligendam satis abundeque Delio instructus oraculo, in errorem tamen unius uerbi neglegentia relapsus est. Non quidem fuerat locorum quae petere deberet nomen insertum, sed cum origo uetus parentum sequenda diceretur, fuit in uerbis, quod inter Cretam et Italiam, quae ipsius gentis auctores utraque produxerant, magis ostenderet et, quod aiunt, digito demonstraret Italiam. Nam cum fuissent inde Teucer, hinc Dardanus, uox sacra sic adloquendo : « Dardanidae duri », aperte consulentibus Italiam, de qua Dardanus profectus esset, obiecit appellando eos parentis illius nomine, cuius erat origo rectius eligenda.

Macrobe